

P V I S

1 6 1 8





- |  |  |
|--|--|
| I. Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptus die.  |  |
| II. Beremanni paraphrasis Psalmorum 121. 91. 123. 124.     |  |
| III. Beremanni paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.           |  |
| IV. Beremanni paraphrasis Psalmi 08.                       |  |
| V. Beremanni Epipemphion Psalmorum 91. 97.                 |  |
| VI. Beremanni Psalmi 104. 0. 19.                           |  |
| VII. Polletari Paraphrasis Prometei Ione                   | XXIX. Epitaphium Johanni Ernesto                 |
| VIII. Munderphii paraphrasis Ione.                         | cipi Anhaltino v. Alberto Voite dictus.          |
| IX. M. Iacobi Gregorii Jonas.                              | XXX. Angelii ad Bartheleum de Wschmitz.          |
| X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.                    | XXXI. Memoriae Danielii Diepholdii.              |
| XI. M. Theodori de Nativitate Christi.                     | XXXII. Abrahami Cremeri de preemptione ad Bohem. |
| XII. Wiltzeri Ode de Redemptionis Obere.                   | XXXIII. Propemptica Fyffelio et Cremero dicta.   |
| XIII. Optii de Peccatis Christi ad Inferos.                | XXXIV. M. Victori, cum renuntiaretq. Rector.     |
| XIV. Domarii Heptas simulacra Resurrectionis.              | XXXV. Ode Sapphica in Doctores Honoratus         |
| XV. Sfortiorib. ubiq. impudentissimis.                     | Fyffelii &.                                      |
| XVI. Trautmanni instructio p. vero Lutherano.              | XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cramp.          |
| XVII. Praetorii Epit. Germaniae ad Electores.              | XXXVII. M. Bernmanni in honorem Magisterii       |
| XVIII. Moiti & Ruma ad Christianum Pr. Anhalt.             | zii Lipsensis XX juvenum.                        |
| XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. An.               | XXXVIII. M. Rostii in Magisterium Haberlandi.    |
| XX. Henrici ab Eichen ad Maunicium Typog.                  | XXXIX. In Magisterium Coppenui                   |
| XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand.                   | Bethmanni Herdesiani.                            |
| XXII. M. Amlingi <sup>es. 1708</sup> Statulatio in Natalem | Christiani Voelzeri.                             |
| Rudolphi Principis Anhaltini.                              | Abrahami Theopoldii.                             |
| XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. An.                   | XL. M. Coppenui Gratiam. Titio in Magisterio     |
| XXIV. Beremanni Eclogae Rodolphus.                         | De Dignitate Conulari Trevesi.                   |
| XXV. Bromii Nuptis ratis Rudolphi Pr.                      | De Dignitate Nuptiarum Gelami.                   |
| XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptis                             | Apocryporum Politiconum sigula.                  |
| eiusdem.   | Nuptis Petri a Jena.                             |
| XXVII. Parentalia Augusto Electori a                       | M. Pucmerzi.                                     |
| D. Maiore habitata.  | M. Richardi.                                     |
|  | Wolfgangi Hanen.                                 |



LIV  
3

CARMINA  
GRATVLATIONIS ER-  
GO AB AMICIS CONDITA  
DICATAQVE

CLARISSIMO VIRO  
WOLFGANGO AMLINGO I.V.D.

*Viri Reverendi M. WOLFGANGI AMLINGI,  
verbi divini apud Servestanos in veterum Sora-  
borum Metropoli Ministri fidelissimi,  
& in inelyto Gymnasio Anhal-  
dino SS. Theologia Professo-  
ris celeberrimi  
Filio.*

NUPTIAS CELEBRANTI  
CVM PVDICISSIMA VIRGINE  
GERTRVDE

*Viri amplissimi REINHARTI BACHOVII ECHTII,  
Serenissimi ELECTORIS PALATINI  
Heidelbergæ Prætoris inte-  
gerrimi Filia.*

*VI. Kalend. Septemb. Juliani*

ANNO M. D. IC.

HEIDELBERGÆ,

E Typographeio Iohannis Lancelloti.





VOTVM PATRIS IN NV-  
PTIAS FILII.

**C**ASTA DEVS mens es, casti sancitor amoris,  
Nec nisi coniugij pignora casta probas.  
**I**N TE sint thalamo iuncti MENS VNA, COR VNVM:  
Nec turbent castas iurgia dira preces.  
**N**atorum natos videant, pia germina lecti,  
Hæredes regni, **C**HRISTE, Patrisque **T**VI.

W. A.





PAVLI MELISSI FRANCI,  
COMITIS PALAT. ET EQV.  
CIVIS ROMANI

MELOS NVPTIALE.

**F**LAMME A fax Amlingiaden novis  
Torret incitatum  
Æstibus Cupidinis:  
Ardet amans ictus jecur intimum,  
Corque totum ab imo  
Attrahit Siren sibi  
Pectore flagrantis : Siren, potens  
Elegante formâ,  
Vividoque lumine,  
Fluminis in ripis sata Elistry,  
Nuper hunc ad amnem,  
Cui Nicro nomen vetus,  
Transdita, Bachovidum merito genus  
Laude cum decenti  
Gloriata, & Ectidum:

A ij.



4


Digna cani dignis Aganippidum  
Tibiis, lyrâque  
Gemmeâ Cyllenij  
Arcados, aut Phœbi testudine,  
Lucidâ pyrôpis  
Et smaragdi fulgure.  
Hucne venis, AMLINGE pater? venis,  
Nobilemque Nympham  
Intueri tam cupis  
Latior ante alios, quàm filius  
Ipse; cui paratu  
Splendido mirè nitet  
Florida GERTRVDIS, pretiosius  
Compta margaritis,  
Bacculis, monilibus.  
Sed facies roseâ face purpurans  
Virginis venusta  
Abripit spectantium  
Lumina, demirata decens jubar,  
Par quidem decóri  
Aureæ Tithonidos,  
Æthere cum sudo niveum diem  
Gestiens ab ortu  
Invehit, vel Hesperum

Præmeat



3  
Premeat occasu, rutilantibus  
Crinium flagellis,  
Et coruscis vultibus.  
At tibi lux hodierna uni micat  
Sponse, conjugique.  
Fenerari nos tamen  
Particulam lucis Genius quotam  
Non vetat, potitos  
Gaudij, quo consocer  
Adfinesque tui, & manus hospitum  
Rite perfruuntur,  
Libero in convivio.  
Ut tibi dona ferant & munera  
More nuptiali  
Convenerat gratissima;  
Gratius hoc tamen est, quod utrilibet  
Optima appreentur  
Queque, & eventum bonum  
Omina promittant felicia.  
Nam quid est maritus  
Prolis augendatorus,  
Prosperitate nisi cumulatior,  
Floreat beatâ  
Paceque & concordia?





AD EVNDEM.

**I**NTUITV certè Lynceo, Amlinge, valebas.  
Nec sub aqua nummi visa figura tibi est;  
Quùm Bacoviade legisti sanguine natam,  
GERTRVDISQUE dedit comior ipsa manum.  
Usque adeò heic Natura & sors & gemmea Virtus  
Congessere sui muneris omne genus.  
Spectatur forma? membris ita gratia surgit  
Omnibus, ut Veneris digna sit esse nurus.  
Spectatur censu? non est dotatior oris  
Nobilitate, sua quàm grave dote domus.  
Spectatur studiis? mens est sine labe, vigetq;  
Ingenij pariter iudicijque notis.  
Haud tamen hoc mirum: quid enim nisi palmite Vitis  
Egregia egregio luxuriare queat?  
Flexanimumq; decus morum, venasq; pudore  
Turgenteis afflet rarus uterque parens?  
Id mirum potius, Sponsam ipsa à Pallade doctam,  
Te præter reliquos associasse sibi.  
Heic acie cordis certe prudente vigebat.  
Nec viridans oculos per specularare tulit.  
Usque adeò, qualem te tunc, AMLINGE, putavit;  
Talis & ipse extra, talis & intus eras:  
Ambiguumq; facis, tibi majus an ipsa resignet,  
Quàm tua reddat ei Musa Themisque decus.  
Ambiguum, dico, facis, ipsamet an mage temet  
Debeat, ànne illam tu redamare magis.  
Sic tamen, ambiguum maneat precor istud utrisque.  
Extremus donec venerit ille dies.  
Nam quò certamen magis heic certabitis ingens;  
Hoc in utrunque minus juris habebit Eris.

I. GRVTERVS.





*Epigramma in nuptias easdem.*

**Q**UAM paribus lecti coeunt in fœdera vinculis  
 Filius Amlingi, filia Bachouij!  
 Sponsa pudicitia, formæque decore refulget,  
 Doctrinæ fama sponfus & ingenij:  
 Consilij pollet sapiens focer alter, & alter  
 Cœlesti fatiat gramine pastor oues.  
 Alterius pietas multos spectata per annos,  
 Alterius virtus cognita laude pari.  
 Alter vera fuit confessus, vera professus  
 Alter, & hinc palmam lætus vterque tulit.  
 (Testis Elister erit, liquidis vbi purior vndis  
 Fluxerit: interea sit maneatque Nicer.  
 Testis & Albis erit, veteri si limpidus alueo  
 Ascanios placido flumine radet agros.)  
 Infestas plebis furias sibi sensit vterque:  
 Ille minis, lapidum iactibus: iste probris.  
 Sed bene res cecidit: nocuit violentia neutri,  
 Defensante Deo lædere nemo potest.  
 Vincet ad extremum fidei constantia vincet,  
 Postque malum veniet messis opima boni.  
 Grator in cœlo ridet post nubila Titan,  
 Inque mari, Boreæ post fera flabra quies.  
 Quod restat soceris votis felicibus opto,  
 Ille diu genero gaudeat, iste nuru.

*Aliud.*

Ὡς γλυκύπικρῳ ἔρωσ ἐτύμως θνητοῖσιν ἐλέχθη;  
 Τίττα καὶ σὺ μάθης πείρα ἀληθοσύλω,  
 Νυμφίε, ὅς γλυκεράν κερδίη ἐνὶ ἐλπίδα θάλψας  
 Συζυγίης, ὀδυῶν ἤθεο ἀντὶ γάμου



Ἐξ Ἰπικινδῶς νῆσος ῥαδινώτατα νύμφης  
Δητὰ μαραινέσης ἄψευδη λυτέρης,  
καὶ ὄφελ' ἔτιχ' ἔλω ἰατρῶν ἔδδεν, εἰ μὴ  
Αὐτὸς ἔρωσ κρυφίω πρὸσφερ' ἀκεστῆίλω.

Idem Latinè:

*Expertus sponsus: verum vetus illud haberi,*

*Lucundis quod amor miscet amariciem.*

*Coniugij dulcem spern nuper corde fouebat.*

*Sed letis voluit se sociare dolor.*


*Dum gravis attenuat si onsa nitidissima membra*

*Morbis, & infirmem ducit in ore notam.*

*Forsitan & medici perisset cura fidelis,*

*Ni manus occultam ferret Amoris opem.*

S. STENIVS.



ALIVD.

**D**IVIDIMVR cœlo, terraq; mariq; profundo,

Qui patre ex vno dicimur esse sati.

Vitamēn arcana toto nos numinis orbe

Diuisos iterum copulat vna fides.

Dulcius hoc vinculum est, vbi flamma accedit amoris,

Et studium veræ religionis idem.

Hinc tot amicitia coeunt: hinc fœderis ampla est

Gratia, quæ populos consociare solet.

Sed nulla est maior quam qua sub iure iugali

Conueniunt vna femina virq; domo.

Nam rerum hic superest maior communio & usus,

Soluere quæ præter funera nemo potest.

Quin



9  
Quin etiam magnum pietatis fœdus adumbrat,  
Cum sancto æternum quod grege Christus habet.  
Non expers, fateor, variorum hæc vita dolorum est.  
Quis turbatus, amor dulcis amara refert.  
Verùm vna hos omnes tandem patientia vincit,  
Quandoquidem auxilio stat benè fulta Dei.  
Crescit & orandi studium, lapsusq; cauentur  
Rectius, & robur concipit inde fides.  
Nam præsens Deus est, vini qui plena ministrat  
Pocula, quod fontis iam modò lympha fuit.  
Ille fugat cœlo nymbos, solemq; reducit,  
Ille facit pulsa nocte redire diem,  
Et mortem in vitam, fletusq; in gaudia mutat,  
Ante suis Phoebus quam iuga soluit equis.  
Fallor? an integro qui lusit in orbe creator  
Vos inter, lusus vult quoq; habere suos?  
Iam iam fatorum vos hic exercuit ordo,  
Vix sacri ingressos limina prima tori.  
Nam dum, quæ infando corrodit viscera fluxu  
Foeda lues, quosvis sub sua iura vocat:  
Et regum inuadit turrets, inopumq; tabernas,  
Magnoq; & paruo non patet ulla fuga,  
En, WOLFGANGE, tibi modò quam pepigère parentes,  
GERTVDI obscuras iniicit illa manus.  
Pressa graui morbo iacet ipsa, exoluitur omne.  
Corpus, & informis pallor in ore sedet,  
Mæsta parens, natæ deplorat fata patriq;  
An thalamum aut tumulum fecerit, in dubio est,  
At tu infelicis casum miseratus amicæ:  
Quos ego te affectus mentis habere putem?  
Quæ non curarum moles te inuisa fatigat?  
Pars quoniam vitæ visa perire tuæ est.  
Parte alia pudor est, alia irreparabile damnum  
Sponsus es: at sponsa mox sine nullus eris.

B

Quæ





Quæ non vota Deo fecisti? arcana recludo  
 Pace tua, lacrymis immaduere genæ.  
 Digna viri lacrymis tot totibus aucta puella est,  
 Pectora ni saxi asperiora gerat.  
 Sed benè res cessit: Propior quæ visa sepulcro est,  
 G E R T R U D I S, thalamo iam socianda venit.  
 Tu terram egestam tumulo vespillo, reconde:  
 Hostibus eueniat languida nupta meis.  
 Quin Hymenæe tuas festina accendere tædas,  
 Stat niueo ornatus vellere ritè torus.  
 Nam quos cura Dei vult iungi prouida, nescit  
 Inuida fraus Sathanæ dissociare duos.  
 Sic penitus toto diuisis orbe Britannis  
 Iungitur Alpinis nata puella iugis.  
 Vistula sic Istro, Rheno sic iungitur Albis,  
 Et Mæno occidui ripa beata Tagi.  
 Inuicem, atq; Deum, vesane Epicure, negato,  
 Dic, pia successu vota carere suo.

H E N R I C U S M A I V S  
 Sangerhusanus. D.



Ad Eundem.

A N N E igitur castris, quæ olim tibi grata fuere,  
 Transfuga, desertis, nunc aliena petis?  
 Dum lento tenera deceptus amore puella,  
 Lasciva Veneris lubrica signa petis:  
 Anne ergo innupta fœtent tibi Palladis artes?  
 Num latices Clarii: num tibi spreta Themis?  
 Cur ergo imposuit cervici Astræa coronam,  
 Præmia dum longo digna labore dedit?



*Tu simul Aethrae colis, ac in montibus erras,  
 Musarum: atque simul sacra facis Veneri:  
 Desine mirari: discordia numina in uno  
 Corpore coniungi qua ratione queant?  
 Munia temporibus distinguit: luce Minervam,  
 Aethraeque colis; Cyprida nocte colis.*

Reinerus Bachovius R. F. Echtius D. Sp. Fr.



*Ad eundem.*

**E**ST schola coniugium, totus est Academia vitæ  
 In qua virtutum militat omne genus.  
 Militat hic etenim pietas gratissima cælo,  
 Integritas animi sollicitusque pudor.  
 Militat hic nexu socians Concordia mentes,  
 Innocuæque simul pacis amicus amor.  
 Militat hic caudor simplex, & nescia vinci  
 Rebus in afflictis intemerata, fides.  
 Militat hic tolerans dubiam patientia sortem,  
 Spesque coronatis cincta triumphat equis.  
 Militat hic altos penetrans oratio cælos,  
 Et pro coniugibus mutua vota novis.  
 Hic homines quid sint homines cognoscere primum,  
 Pleniùs & discunt sub cruce nosse Deum.  
 Hic superum discunt sese committere patri,  
 Ordine qui rebus prouidet ipse suis.  
 Hic thalami discunt solari pignore curas,  
 Ac vitam donum Numinis esse, vident.  
 Quid totus? est columen vitæ generisque propago,  
 Quo regitur mundus, mundus & alter, homo.  
 Namque cui sacro contingit numine coniux,  
 Quam pudor ac charites, laudat & alma fides;  
 Is quater est felix, is dextro sidere natus,  
 Is Phægiæ superat Laomedontis opes.  
 Ac velat in ludo virtutum dogmata discit,  
 Quæ sunt terrigenis commoda, grata Deo.

B ij Gratulor



Gratulor ergo tibi Sponsam, clarissime Doctor,  
Comprecor & tædis fata secunda tuis.  
Nam tibi pulchra bonis auibus deducitur vxor,  
Intrat & amplexus culta puella tuos;  
Cui pudor & pietas decernit clara triumphum,  
Quamque probant Charites formaque grata viris.  
Qualis enim surgit Cythereus ignis ab ortu,  
Et Phæbe radiis astra minora premit:  
Talis in te socialis fœdera lecti  
Virginei splendor pulchra marita chori.  
Si genus expendas, est orta parentibus, alma  
Quos pietas, virtus integritasque refert.  
Namque parens eius præstat Bachofius arte,  
Ingenus, prudens, optimus atque pius.  
Nomina quis nescit Bachofia; nomina magnis  
Quæ meritis replent solis vtramque domum.  
Testis erit Philyræ locuples Respublica florens,  
Iamque Nicer puro flumine testis erit.  
Ergo tuam Sponsam complectere Sponse celebrem,  
Vnus amor vobis vna sit atque fides.  
Tu quoque GERTRVDIS, redama noua nupta maritum,  
Vester vt alterno certet amore torus.  
Hunc etiam candor, virtus, doctrina fidesque  
Integritas morum dextraque fida canunt.  
Nam pater AMLINGVS pietatis nobile lumen  
Martia pro Christo prælia miles inuit.  
Insidiatores sacris ab ouilibus arcet  
Qui gaudent raptu, sanguine, cæde, lupos.  
Laude pares igitur, merita virtute parentum,  
Inque vicem iuncti lege manente tori;  
Viuite felices & ab omni parte beati,  
Nec grafsans turbet gaudia vestra lues.  
Dux pietas, Astræa comes, custosque duarum  
Pax cornu vobis diuite quæque ferat.  
Quot parit autumnus felicis munera Bacchi,  
Quotq; gerit baccas myrtea sylua nouas:  
Tot tibi diuitias precor & tot temporis annos  
Cum benè laudata coniuge, viue, vale.

M. ALEXANDER BECKER  
minister verbi diuini in Ecclesia  
Heidelbergensi.






## Ad Eundem.

**S**ic de me meritis tuus est pater, optime Sponse,  
 Dum mihi ser vestæ pro patre Sæpe fuit,  
 Tu quoq; me tanto tunc es complexus amore,  
 Dum Schola nos studiis erudit una bonis,  
 Ut, si iam taceam, tibi dum coniungitur uxor,  
 Vix possim grati nomen habere viri.  
 Ergo DEVM thalami legem qui sanxit, adoro,  
 Coniugium felix ut velit esse tuum,  
 Vig; tibi Sponseque tuæ benedicat, & in vos  
 Largiflua dextra conferat omne bonum,  
 Ut vos circumstet pax, & circumdet Hygea,  
 Caraque vos lecti pignora letificent,  
 Largaque cunctarum sit vobis copia rerum,  
 Omnique in vita multiplicetur honos.  
 Hæc optare tibi pietas me, Sponse, coëgit,  
 Ut te commoneam me memorem esse tui.  
 Te quoque, Sponse, rogo, ut veteris memor esse Sodalis  
 Indeclinato pectore sustineas.

M. Iohannes Faber, Rector  
 Scholæ Coburgensis.



## ALIVD.

**A**MLINGE, Trigæ flos Chariteiæ,  
 Patrone Juris, Cyprigenæ Deæ  
 Nunc Tyro: quæ Sponso novello  
 Sponte tuâ, prece quæ Themistos

B iij.

PHOE-



**PHOEBVS** precatus sit, Cor Apollinis  
 Dicat **MELISSVS**. Credo equidem, tuas  
 Dixisse curas primo ab ævo  
 Et Themidi & sibi dedicatas:  
 Dixisse purâ candidius niue  
 Pectus, paternæ scilicet æmulum  
 Virtutis, expertesque labis  
 Conspicuos grauitate mores:  
 Dein & decorem virginis, aurea  
 Labella, frontis sidera: seu pudor  
 Spectetur aut ars, inuidendæ  
 Omnia per similem Mineruæ.  
 Dixisse credo hæc: Credo etiam, suum  
 Deslesse fatum, cæruleæ memor  
 Daphnes: portesque & sempiternum  
 Peruigiles in amore flammæ,  
 Fortemque prolem, Sponse tibi & tuæ  
 Deinceps futuros ordine singulos  
 Precatum in annos: iamque tactu  
 Sponsa tuo vt repararet, quod acri  
 Morbo leporis perdidit, & tuo  
 Fecunda fiat Mater anhelitu,  
 Non arbor, vt Peneia virgo,  
 Luxurians viridante ramo:  
 Verùm Amelingis vsque novis, novis  
 Vsque annuatim, seriùs, ocyùs  
**GERTRVDIBVS** largè ferendis:  
 Vnde Pater benè, Mater unde  
 Et nunc & olim gaudeat: hos Pater  
 Sese æmulantes dum videt, hos avum  
 Vel hunc vel illum: omnes honestos,  
 Iustitiæ & pietatis omnes  
 Verique amantes & fidei, atque ita  
 Veræ tenellis laudis ab vnguibus:  
 Has dum pias, castas, modestas  
 Se videt, aut aviam sequentes



ss.

Mater, mariti delictum sui,  
Dandis fidelis vinea fructibus  
Dandisque servandisque, PHOEBVM  
Hæc puto, pluraque sic precatum,  
Sic ominatum: Cùmque igitur rear  
Sic ipse mecum, iure torum hunc novum  
Nonne & beatum, nuptiasque  
Dixero faustiter auspicatas?  
G V O L F G A N G E felix! magnanimum haud puto  
Feliciores Pelea Nuptias  
Vidisse, transactas licebit  
Egregia in superùm coronâ.  
Est Cantor idem, sint licet hospites  
Mortalium de gente sati, tamen  
Quamplurimos ad summa tanquam  
Semideos tulit astra vitæ  
Et Puritas & Relligio entheo  
Adserta Zelo, voce, stilo: amplius  
Quos fama mortales per omnes  
Esse loquax vetat orbis oras.  
Sed pluribus ne te morer, & vale,  
Et vive, & esto vir, pater, & Senex  
Tranquillus olim, Sponse, rerum  
Et Patris & columen tuarum.

A D E V N D E M.

**P**VLCRA *Phariteum spirantia* LILIA odorem.  
PVL CRA *ferax vivis semper* OLIVA comis.  
PVL CRA ROSA est, *quæ purpureis innascitur hortis,*  
PVL CRA *sub Eois* GEMMA *reperita vadis,*  
PVL CRA *triumphantis virtute parata* CORONA,  
PVL CER *Apollinea partus ab arte* NITOR.  
PVL CRIOR *et Coniux Pia, sint licet omnia* PVL CRA  
LILIA, OLIVA, ROSÆ, GEMMA, CORONA NITOR.  
*Vtq; foras itent mea gaudia, vota ligabo*  
*Versibus, adfectum testificata meum:*



*Ignē focus, noua cella mero, sale mensa redundet,  
Prole domus, capsæ vestibus, are manus.*

G V O L F G A N G V S G I R S I N G V S T o r g e n s i s  
Hermundunus faciebam Heidelbergæ.

---

A D V E N D E M.

C V M sibi desponsâ Amelingus, almæ  
Cypridis pullus, rosa Gratiarum,  
Iuris antistes, petit & sacratum  
Virgine templum.

Filii felix Amelinge visis  
Nuptiis, dii pie præco verbi,  
Prodeas, per te mage nuptialis  
Splendet hic actus.

Gaudeat sponsæ pater, & puellæ  
Et Cato lætus focero precetur  
Nec iuuentutem sterilem aut carentem  
Prole senectam.

Hic dies verè tibi festus alter,  
Sponse, doctorem prior, hic maritum  
Fecit: hinc multos genialis omnis  
Ibit in annos.

Sospes & felix age, quisque vestrûm  
Et suo neptes focero & nepotes,  
Filios vobis date filiasque:

      Iste sed esto  
Cypridi curæ labor, annuatim  
Proferant vivos uti saviorum  
Tot citro vdorum data, totque retro  
      Millia fructus.

Floridæ spirat benè dum iuuentæ  
Vividus molles calor hic amores.  
Alget albescens caput, & susurros  
      Spernit ineptos.

E R A S M V S R H O D O S T E P H A N V S,  
Torgensis Misen.





ΤΟΙΣ ΝΕΟΓΑΜΟΙΣ.

Πράγμασιν ἀνθρώπων κτ' γλῶτ' ὄπιν ἐδόντων  
 Παντοκράτωρ ὁ θεὸς πᾶσι δίδωσι τέλος,  
 ὡς ἐπεκλώσαθ' εἴη ἀμεταβλήτω ἐνὶ βελῆ,  
 Παίγνιόν ἐστι γὰρ οἱ πράγματα πάντα βροτῶν.  
 Καὶ δὴ ταῦθ' ἀγνοῖς αὐτὰ ἐνὶ γονύασιν κείται,  
 Πάντα γὰρ οἰκονομῶ θνητὰ, ὅπως ἐθέλει.  
 Τέτρα σημεῖον τελέτη μέγα νυμφίε πᾶς τις  
 Ὅτ' οἶκον δεῖ εὖν νυμφιδίῳ ἐπάγει.  
 Αὐτὸς ἐμοῖ μάρτυρ τέτρων ἔση ἀξιόπιστος  
 Ἄμλιγγ' ὅσγε πάθεις πάντετε πολλὰ κακὰ,  
 Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδες ἄσφα καὶ νόον ἔγνωσ  
 Τεχνάων διὰ τὴν γνῶσιν ἐλθῶ θέρων.  
 Ἀλλ' ὁ θεὸς ζοφερῶν μὲν τῶν νεφέων σκοτῶ ἀγνόν  
 Αὐτὸ πάλιν προσφέρει ἠελίοιο φάτος.  
 Καὶ σοφὸν θαλάμῳ πολυήρατον ὠπάσσε δῶρον  
 Γερτῆυδιν νύμφῳ κεριδίῳ ἀπαλιῷ.  
 Ἐνθα μέρῳ σὺ πῶ τῷ σώματι ἐνδεες ἔξεις  
 ὡς ποτε ἀνθρώπων ἤλλαχε πρῶτῳ Ἀδάμ.  
 Ἄρτι ἕως καὶ γὰρ πάντως μὴ ἦθα τέλει,  
 Ἐν δὲ τελῆς ἤδη σὰρξ μία ἐσὲ δύο.  
 Ἐβραίων ὁ σοφὸς καλῶς τὸδε εἶπεν, ὅτ' ἔδεν  
 Ἐς ἀγαθὸν μείζον τῆς ἀγαθῆς ἀλόχου.  
 Ἦσγε τυχῶν θεία μοῖρα μέγα νυμφίε χαῖρε  
 Καὶ Πάππον μετ' ἔτ' ἄχου τὸ γονεῖα.





## ALIVD.

**Q**UANTVM VIS noui, sterilis quam sit mihi agellus,  
(Te precor, ô, supple. quod mihi, Phœbe, deest)  
Multaq; quam multi felici numine, vestrũm  
Possideant pinguis iugera culta soli.  
Nempe vbi Musarum dux est: Ibi sunt & alum ni-  
Artifices ibi sunt; ars vbi docta viget:  
Attamen impellunt me vincula sanguinis. arcẽ  
Queis obstrictus ego sum ne nympe tibi  
Gaudia compellunt, inquam, de corde profecta,  
Coniungam votis vt pia vota piis.  
Et quid cum lætis læti non simus amicis,  
Ceui tristis tristi conuenit esse statu.  
Aspicias sponsum seu sponsam, nil nisi læta  
Protinus occurrent conspicienda tibi.  
O te felicem nimium, WOLFGANGE colende,  
Cui sua certatim dat bona Diua duplex.  
Nuper purpuream Themis obtulit alma tiaram.  
Hinc tibi Doctoris nomen honosq; venit.  
Nunc Venus egregio cingit tua tempora sero.  
Hinc surgit sponsi nomen honosq; noui.  
Sices WOLFGANGVS verè: Sic is pede fausto:  
Sic benè conueniens nomen in omen abit.  
Sed cur non patriis sertum DEA textit in hortis?  
Non facit ad gustum patria nympha tuum?  
Ah nescis, quò fata trahunt. retrahuntq; sequendum.  
Corruit & fato constabillitur amor.  
Patria nec modò alit pulcrasq; piassq; puellas.  
Est quoq; trans ripam digna puella viro.  
Talis GERTRVDIS, sponse ô, tua summa voluptas,  
Quam vel commendat nobile stemma satis.  
Gaude, quam plures fatagunt ambire puellam.



O felix iterum felix, bona si tua nôris.  
 At sunt præ numero vix numeranda suo.  
 Hæc igitur præstat mutis transire camœnis,  
 Quàm paucis laudes obtenebrare tuas.  
 Omnia sint magni sub patris imagine clausa.  
 Hoc caput: hæc laudis portio summa tuæ.  
 Aspice tædarum loca, quæis celebrantur, amœna,  
 Non Myrtillerum est, campus at Elysius.  
 Hæc vbi vitiferos colles cita Neccaris vnda  
 Alluit, & Pallas gaudet habere domum.  
 Quam sacri extruxit Comes inçlytus ille Palatî  
 Ad Rheni tractum, non sine laude sui,  
 Hæc vbi magnamini dudum Ducis aula superbit.  
 Quæ duo vix alio consocianda loco.  
 Aspice tædarum tempus vix aptius vllum,  
 Frugibus & quod sit ditius omnigenis.  
 Salue festa dies, qua sanctior altera non est,  
 Quâ non est nuptis gratior vlla nouis.  
 Cornua deiiciant rigidi, sint omnia læta,  
 Hæc sine nube dies transeat, atq; sequens.  
 Nec tantum sine nube dies eat vnus & alter:  
 Totius at vitæ mollia fata precor.  
 Viuite lo sani ter centum Nestoris annos,  
 Ac non degeneri prole replete domum.  
 Vestraq; viuaci coalescant pectora flammâ,  
 Nec regnet Martis litigiosa soror  
 Perferat alterius næuos patientius alter,  
 Sponse & qua poteris arte placere place.  
 Absit ab hoc tristis procul omnis amaror amore,  
 Sponsa & qua poteris parte placere place.

LUCAS AMLINGVS  
 Ceburg. F.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Decorative border on the right edge of the page.





*Id 4212.  
8.*

ULB Halle 3  
002 391 589



*D*


*So*

*Ne*


*Von*











LIV

C A R M I N A  
G R A T V L A T I O N I S E R  
G O A B A M I C I S C O N D I T A  
D I C A T A Q V E

C L A R I S S I M O V I R O  
W O L F G A N G O A M L I N G O I . V . D .

*Viri Reverendi M. WOLFGANGI AMLINGI,  
verbi divini apud Servestanos in veterum Sora-  
borum Metropoli Ministri fidelissimi,  
& in inchyto Gymnasio Anhal-  
dino SS. Theologiae Professo-  
ris celeberrimi  
Filio.*

N U P T I A S C E L E B R A N T I  
C V M P V D I C I S S I M A V I R G I N E  
G E R T R V D E

*Viri amplissimi REINHARTI BACHOVII ECHTII,  
Serenissimi ELECTORIS PALATINI  
Heidelbergæ Prætoris inte-  
gerrimi Filia.*

*VI Kalend. Septemb. Juliani  
ANNO M. D. IC.*

H E I D E L B E R G Æ ,

E Typographeio Iohannis Lancelloti.